ODAE

S. ANACHORETIS DICATAE

P. ALOYSII VALENTINI

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA CONTEDINI
MDCCCLVI.
ad Thermas Agrippae

L E C T O R I

Latinis carminibus exposui graeca Anacreontis et Sapphus odaria post longum saeculorum ambitum laudata, semperque laudanda. Suavissima enim et mellitissima poesis, splendide et vivide expressae rerum imagines, sententiarum praestantia aeternas lauros utrique pepererunt. Hisce ideo homines eruditione repleti, juvenesque studio poeseos dediti maximopere delectantur, eodemque tempore cum habeant ingenii et pudoris indolem, lascivos lusus, et amatorias levitates negligunt, nec morantur

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

Hujusmodi illecebrae corrumpunt bonos mores, ad deliramenta et ad crimina ani-

mum componunt; unde placere non possunt nisi potantibus in rosa, catamitis, et in vitiosa vita voluptate affluentibus. Quocirca quantum licuit latina versione indecora velavi. Cum autem caelestes virtutes mundi futilibus et fallentibus contrarias vehementer admirer, quae tot hominum millia in tenebras et solitudinem sine amicis, sine propinquis, sine parentibus, et solum in firmissimo Dei praesidio fidentium deduxerunt, sanctis Anachoretis odas dicavi, qui aut ad commissa expianda, aut ad omnium cupiditatum ardorem, praesertim lubricum juventae restinguendum, sese abdere in sylvis umbram non hospitalem sed tristem et formidulosam offerentibus; in remotis rupibus; in excavatis scopulis; in vallibus reductis, insalubribus, luce carentibus; in cryptis; in speluncis, seu potius lustris

ferarum perrexerunt, ubi in laboribus, jejuniis, lacrymis, flagellis, et precibus, praeclaro sanctitatis exemplo, vitam consumpserunt. Anachoretarum virtutes sideribus pulchriores, quae nec Homericis, nec Pindaricis, nec Horatianis numeris celebrarentur, sunt tamen nobis parvis commemorandae, ut saltem aliquando animo lustremus quantum adjuvante Deo possit in humano pectore divinus amor, et studium aeternae salutis. Hac de caussa benevole et moriture lector tenuissimum odarum specimen nequaquam aspernare. Vale.

NIHIL OBSTAT
J. B. Rosani Episc. Erythr.

IMPRIMATUR
F. D. Buttaoni S. P. A. M.

IMPRIMATUR
F. A. Ligi Arch. Icon. Vicesg.

PARS PRIMA

AD DIVUM JOANNEM BAPTISTAM

ODE I.

Audax qui cithara carmina dividat,
Et te non timeat tollere laudibus
Joannes, fidei si voluit Deus
Praeconem, sibi vel pandere tramitem
Cum terram adveniat sedibus aureis?
Si te proposuit sicut imaginem
Qui vitam cupiunt saltubus abdere?
Aspernatus enim divitias domi,
Fluxas illecebras sedulus effugis,
Purum ne maculent crimina spiritum.
Aetatis simul ut flore nitent genae,
Et cervix rosea et brachia cerea,
Et perfusa humeros flava fluit coma,
Errantes nemorum nec timeas feras;
Diram quae laceret viscera nec famem,
Permulcenda modo aut fructibus asperis,
Aut radicibus, aut melle quod è thymo
Ingrato accumulet pervolitans apis,

Aut rebus moveant quae stomachum improbis;
Membra obducere nec pellibus hispidis;
Nec dumos super et saxa quiescere,
Quae corpus fodiant, ut cruor effluat.
Cum divinus amor pectore ferveat,
Est quidquid leve, nil quod pigeat pati.
Est gratum specus, et dulce nemus tibi,
Quantum sunt aliis limina fulgida,
Urbes quaeque ferant gaudia divites.
Quis subducere nam te poterat, Dei
Ni vox imperet his cedere saltubus,
Gentes ut doceas quaeque incant fidem,
Exemplumque tuum vel studeant sequi,
Et stellas, duce te, scandere flammeas?
Cum terris maneant plaudere non sinant,
Dum lunae rutilas lumine pulchrior,
Et solis radiis, qui novus emicat;
Es vel christicolis praesidium impotens,
Quod fauces Erebi comprimat horridas.

AD DIVUM PAULUM PRIMUM EREMITAM

ODE II.

Non te clara domus, tegmina nec splendida murice,
Nec suaves epulae, nec petulans luxuries juvant,
Sed virtus nitida, et sors stabilis fallere nescia,
Ut vitae integritas, et brevibus deliciis procul,
Et jejunia jucunda Deo, et pauperies proba;
Multum consequitur nam sibi qui multa negaverit.
Aevo Paule virens, gaudia dum deseris urbium,
Et silvas properas, invenias ut specus abditum,
Spinis vulnificum, palma tremens quod prope germinet,
Vestem suppeditet quae foliis, fructibus et cibum;
Compescantque sitim quae scopulis desiliunt aquae.
Ast alto Omnipotens cum miserum te videat, corax
Artus esuries ne spoliet viribus effera,
Panem dimidium tum tibi vult deferat in diem.
Tandem cum tenebris mors placide lumina fuderit,
Binis indiderat consilium proinde leonibus,
Ut terram fodiant unguibus, et te aggere contegant.
Descendant volucres aligeri nubibus imperat,
Christi et discipuli, quique canunt tempore condita,
Ut ducant comites astra super lucida spiritum.
Laetus despicias, non secus ac qui prius obsita
Densis rura rubis sub manibus mittere munera,
Quot vestigia lustrent tua, dum devia permeant,
Et sanctae specimen dent fidei gentibus inclytum.

AD DIVUM ANTONIUM EREMITAM

ODE III.

Caelo profectum flammiferum jubar,
Velox penetrat lumine candido
Magnis cavam, Antoni, cavernam
Quae latet undique clausa saxis;

Terra jacentem protinus excitat
Te, dum severis exanimis fere
Jejuniis, atrocibusque
Ictibus interitum manebas.

Arens ut arbor dum sine frondibus
Tristi videtur proxima casui,
Ulla absque spe robusta trunco,
Et redimita comis resurgat,

Vires labantes sic redeunt tibi,
Membra ut calescant torpida frigore,
Informis et vultus decorus
Prodeat, ingeniumque solers.

Tum noscis illo lumine caelico
Ut se recondat, reddere qui novam
Vitam potest, antro recluso
Vellere de tenebris profundis.

Idem Deus caeli regionibus
Descendit altis, commovet, et jubet,
Per te quoque augustum verenda
Relligio peragat triumphum;

Fortis dolosas comminuas plagas
Communis hostis, quas vafer instruit,
Exornet et te clara regnis
Tartareis domitis corona.

Obscoena cedent agmina daemonum,
Turbata frendent et furialiter;
Haec inter inferni peribit
Vana superstitio Deorum.

Ut stella fulgens prospera navitis,
Illos ruina praecipiti eripis
Praesens tuum Numen rogantes
Auxilium, ac animae salutem.

Insigne munus nobile vel decus,
Cum vel periclum, aut sors gravis urgeat,
Te quisquis implorat, pieque
Laudibus assiduis honorat.

AD DIVUM JOANNEM ANACHORETAM

ODE IV.

Silvis recessum et rupibus intimum
Optas Joannes, ducere gentibus
Tempus procul, rebusque mundi,
Et rigide precibus dicatum.

Bis lustra solus quattuor exigis
Hic poenitens, ac omnibus indigus,
Nongesimus sed se revolvens
Funeris attulit annus horam.

Tum si loqui quis te prope saxeum
Limen petat, vel consilium dare
Nunquam recusas, vel monere,
Ut toleret graviora vitae.

Divina virtus te decorat, pudor
Imo sedet tam pectore candidus
Caeli velut sidus tenebras
Discutiens tacitas eremi.

Virtutis ut custos vigil abnegas
Objecta circum vertere lumina,
Cum pertimescas ne latenti
Te valeant temerare fraude.

Magnum rependit sed pretium Deus,
Viventi adhuc qui multa dedit tibi;
Portenta nam patras, petenti
Fatidicus retegis futura.

Vatcs canebas ut Theodosius
Expugnet audax agmina barbara,
Et prorsus exactis tyrannis,
Usque novos referat triumphos.

Caelcstis aestus flectitur in sinu,
Miranda posthac perficias, magis
Christi fides ut proferatur,
Et populis veneranda crescat.

Ne quis propinquet sed moricns vetas,
Momenta quaerens temporis ultima
Rerum Creatori vovere,
Suppetias ferat advocatus.

Accedit ut lux tertia vesperi,
Cum sol in undas aequoreas ruat
Migras beatus quo renidet
Gloria non peritura saeclis.

AD DIVUM HILARIONEM

ODE V.

O mortis metuenda dies qua fata si futura
Omnes perhorrent, qui Deum verentur,

Quam metuent vitae nullo si cum fruantur aura
Fas omne rumpunt vinculo retenti!

O moriens heros Gazae, quam te tenebat horror,
Et si labores plurimos per annos

Passus eras silvis, regionibus aviis, et inter
Caecas ferarum conditus cavernas!

Nocte dieque tenax jejunia namque pertulisti,
Jesum revolvens mente, quem precaris,

Multigenae perdantur fraudes, hostis ut parabat
Minax Averni, scilicet profusi

Multorum fletus puerorum; foeminae gementes;
Tauri cientes horridos boatus;

Terribiles fremitusve leonum sibilis draconum,
Novis remixti vocibus per auras,

Quas spargunt portenta vicissim; pellicum figurae,
Peplis relictis, se palam ferentes;

Axis tractus equis rapidis, ut te super volutus,
Collapsa prorsus membra, quae refracta

Terra, voraginibus reseratis, turbido fragore
Circum remugit, devorat deinde.

Adfuit Omnipotens, vires tam fulsit, ut timentem
Tum concitatus spiritum loquaris;

Quid trepidas, anceps maneas; cur et moraris? exi,
Satis fuisti carceri revinctus.

Protinus inflexos transgressus fornices Olympi
Felix, perenni luce se coronat.

AD DIVUM HONUPHRIUM

ODE VI.

Honuphri loca dum devia pervagas,
Lumen cum videas quo penetraveris;
Quin vestigia mira
Ducat lampas ut ignea;

Nescis quid sibi vult, pectore tum metu
Cor pulsum micat, et quid facias, fugit:
Non audita prius vox
Tum moto strepit aëre.

Cur pendes animo, vel retines gradus?
Descendo tibi jam praesidio aliger;
Non fallax iter urge,
Est gratum facinus Deo.

Dictis impavidus pergere cogeris,
Donec pervenias ad specus aspera
Inter saxa cavatum,
Quo sanctus monachus latet.

Salve sancte senex, approperem modo
Clamas, oscula figam manibus sine:
Concedit, placidusque
Offert hospitii fidem.

Subsistis modicum: quattuor in dies
Te ducit nemorum per penetralia,
Obscurum exhibet antrum,
Et palmam viridem prope.

Hic dixit locus est, Omnipotens ubi
Decrevit sedeas, multaque perferas:
Tecum mense moratus
Descivit, remeans retro.

Dum jejuna fames viscera conterit,
Aut dum membra manent torpida frigore,
Ardens aut premit aestus,
Instet pernicies tibi.

Succurrit veniens aliger aëre,
Panem ne pereas fert, simul ac aquam;
Dum fructus parit arbor,
Semper prospera quae viret.

Vitae postea quam tempora vixeris
Tardae, mors tua vix lumina comprimit,
Aeternas ad Olympum
Laudes fundere pervolas.

Quisquis floribus et deliciis fluat
Sese conjicit in certa pericula,
Jugem vero salutem
Captat, qui legit ardua.

AD DIVUM AEGIDIUM

ODE VII.

Progenies regum claras cur linquis Athenas,
O Aegidi, palatium
Mormoreum et patriam?

Te cur caeruleis committis fluctibus audax.
Nec lubricum times salum,
Nec rabiem boreae?

Numinis auxilium video tibi adesse vocati,
Obediunt cui turbines
Fulmina et ignivoma.

Tempore tristis hiems quo motis infremit undis,
Et horridas jactat minas
Navigio fragili,

Efficis ut precibus flectantur in aequore fluctus,
Securitas paventibus
Continuo redeat;

Hinc leviter ludunt aurae, spirantque secundae,
Ut et fugatis nubibus
Lux magis eniteat.

Post casus varios disjunctum quaeris eremum,
Et devenis quo se celer
Ad mare fert Rhodanus.

Haud procul abruptis scopulis, densisque vepretis
Vides specus, cujus cavo
Abdita cerva cubat;

Et fontem irriguum qui fractis murmurat undis,
Quibus solet fluentibus
Illa levare sitim.

Accurris, visum nec te fugit, imo videtur,
Velut pateret gestibus
Excipere hospitio.

Consistis; carptas sylvestres porrigis herbas
Et illa grata porrigit
Ubera plena tibi.

At pacem turbant venantes illico, telis
Cum rex Lutetiae feras
Per nemus exagitat.

Incassum latrantque canes, conantur et illi
Specus subire, vis latens
Mira pedes cohibet.

Attamen afficeris crudeli vulnere, acutum
Dum subter atra limina
Missile conjicitur.

Tum regi penetrare datur venerabile lustrum,
Dolore qui captus, videns
Sanguine te madidum,

Ex animo veniam poscit, tibi munera pandit,
Et vulneri praebet gravi
Protinus auxilium.

Omnia cum renuas, enixe construat oras
Claustrum suo quo floreat
Imperio pietas.

Quod vis, consequeris. Caelum pariterque precare
Omnes premant ut Principes
Relligionis iter.

AD DIVUM SABBAM

ODE VIII.

Ostendit ut sis Sabba dilectus Deo,
Omnia petenti cum tibi concederet;
Insignc vitae pracmium laboribus.
Puncto cadentem quo vides Jerusalem,
Per asperam quam pertulit diu sitim,
Urbi salutem postulas miserrimae.
Nubes repente contegunt caelum nigrae,
Ut mobilis serenet ignis fulgurum,
Rauco fragore mugiat tonitruum,
Immensa mittat imbrium vel agmina.
Locis vigor consurgit omnibus novus,
Dudum quibus lues premebat pallida.
Postea struis dum claustra, conspicis, cohors
Fortis Deo dicare quae se flagitet;
Miris et hoc opus modis florescere,
Vitae tributos cum dies consumpseris.
Tu qui potes, nostro tenax in pectore
Fac sit fides, regina quae nos ordinet,
Ne profligemur fluctibus mundi vagis,
Recta et salutis haereamus in via.
Jerusalem donec manebit integra
Memor celebret te sonautibus lyris;
Undis adriacis ut levans se civitas,
Tua quae tuetur humido spolia sinu
Studiosa floribus teget recentibus.

AD DIVUM ABRAHAM

ODE IX.

Lecto jacentem cur fugis Abraham
Pulchram puellam ? ludis et efferus
Quae lege deflagrat marita
Anxia cingere te lacertis.

Ut rore pratis enitet humida
Regina florum purpureo sinu ,
Sic laeta nascentis juventae
Explicat ore decus venusto.

Longe severus , nec pietas movet ,
Firmus recusas vertere lumina
Nec verba concedis salutis ,
Dum miseras repetit querelas.

Eheu quid exsors consilii loquor
Audacter ecquid dicere nec pudet !
Ignosce mens humana tantum
Non potuit facinus putare.

Temnens amoris delicias breves ,
Et quae dolosus mundus inania
Defert , quibus tam luctuosam
In seriem ducimus malorum ,

Linquis parentum magnificam domum,
Quotquot tenebas conspicuas opes;
Te condis abrupta caverna
Horribilique situ nigranti.

Nudis egenis singula dividis,
Vestemque tantum cingis humillimam,
Quae corpus abdat, vel cruentam
Ilia quae reprimat catenam.

Sol pluries jam volverat annuum
Orbem, quietus cum mala sustines
Angustioris quaeque vitae,
Quaeque fames generat, sitisque.

Dulcis tamen pax pectore considet,
Ac ore sermo tam placidus fluit,
Posses ut omnes sive atroces
Flectere, sive animos superbos:

Hostes et ipsos eloquio allicis,
Et stringis almam Christiadum ad fidem;
Orci teris, cum te studeret
Perdere multimodis, tyrannum.

Post tot triumphos corpore languido
Solus jaces prostratus humi, ut dies
Accedat, arces qua solutus
Spiritus adveniat supremas.

Cum nulla virtus tam afficitur Deo
Mercede clara candidus ut pudor,
Inter coronatos refulges,
Qui maculis caruere probri.

AD DIVUM MALCHUM

ODE X.

Malche quid impellit te sacrum linquere claustrum
Iter salutis cur et assequi piget ?

Deseris imprudens cur sedem pacis amicam ,
Ubi perennis est precantium sonus ?

Nec reputas animo nos quanta pericula vallant ,
Quibus nec ire pertimescis obviam ?

Oh quam poeniteat culpam patrasse pudendam ,
Gravis ruina dum vides ut urgeat !

Vestem vix ponis delectam , limine sacro
Recedis , et viam facis per invia ;

Latrones saevi verbis minitantur et armis ,
Heri sub et jugo deinde pertrahunt.

Fortiter immiti pateris tormenta sub illo ;
Dicatus at Deo manes fideliter.

Hinc cum te caeli miserum despexerat axe
Novam salutis apparaverat viam.

Sublatis olim pedibus, manibusque catenis,
Fuga tibi citam daturus est opem.

Namque herus et famulus qui consectantur anheli,
Venere quo te subripis profundius;

Horrentes subeunt districtis ensibus umbras,
Truces ut impio furore perneccent:

Mortem dum jactant, crudelia et arma volutant,
Ambos specu latens leaena corripit,

Et rabido lacerans jam frigida corpora morsu,
Saevo rugitu lustra caeca personant.

Parvum sanguineo cum ceperit ore leonem
Recenter editum procul recesserat.

Cum te praegrandi videas discrimine tutum,
Tanto stupore palpitat cor excitum.

Tum nihil ad claustrum reditum properare moraris,
Culpas sciens piare poenitentiis.

Exemplum capiant nunquam convertere mentem
Mundi caduca qui semel reliquerint.

AD DIVUM AMMONEM

ODE XI.

Ut beatorum numero recensus
In specus vivens nemoralis umbris,
Fervide te Ammon veneror, pioque
Carmine plaudo.

Patris ad votum docilis puellam,
Strenuus quamvis peritura temnis,
Ducis uxorem, facie decoram,
Et sine labe.

Cum voluptates reputes petitas,
Ut rosae flores cito humi cadentes,
Castitas nunquam thalamo teratur,
Quaeris ab illa.

Nil laboras; propositum libenter
Sancta nam conjux recipit pudicum,
Atque te lecto sociare nullo
Tempore spondet.

Sic licet plures agitetis annos,
Non tamen vobis satis, ut velitis
Posteram vitam vehere et seorsim,
Et procul urbe.

Vadis Ammon et properus, profundae
Quo virent silvae, metuis nec ullum
Belluae rictum, mala nec ferenda
Conditus antro.

Interim conjux penetrale crevit
Virgines castas cumulare quaerens,
Ut Deo virtus voveatur istis
Alma pudoris.

Sunt tibi stratum silices, vepresque,
Et trahis victum foliis, ferisque
Fructibus donec miseros relinquat
Spiritus artus.

Viribus fractus recubans silenti
In specu, cantus resonat suavis;
Nam volantes hoc cecinere fausta
Omina pacto.

Inter et frondes nemoris susurrum
Excitant aurae, recreantque lenes,
Luxque densas per tenebras penetrat
Flammea solis.

Pace festiva moriturus, acer
Aureas sedes inhias subire;
Et solutus jam levibus pererras
Aere pennis.

AD DIVUM SIMEONEM STYLITAM

ODE XII.

Immensa est Simeon prosperitas tua,
Si lectus Domino gentibus antea,
Ut vulgata tibi Christiadum fides,
Scandas postea sidera.

Heros illecebras effugis irritas
Mundi, coenobium sed petis ingredi,
Cujus prae foribus quinque dies manes,
Mittens absque cibo preces.

Cum praeses videat te venerabilis
Spargentem lacrymas prociduo genu,
Caelestis pietas ut facie nitet,
Ultro fratribus alligat.

Ecquis carminibus dicere congruis
Est tormenta potis, te quibus afficis?
Tu victum miseris distribuis, modo
Festis exiguum exedis.

Tu funem tacite de situla eripis,
Qua corpus cohibes, ut cruor exeat,
Et stillet sanies, sordidaque ulcera
Vermes suscipiant putres:

His dum pestifer evolvitur halitus,
Ut nemo valeat sistere proximus,
Te sicco puteo corripis, ut nihil
Jacturae sociis feras:

Qui dum subveniunt deque loco trahunt
Isto, tuque domum ponere deligis
Pila marmorea, nec pavidus times
Si morti pateat via.

Praelongum patiens transigis hic tamen
Aevum, sollicitant nec mala quae gravi
Caelo proveniunt, nec crucians fames,
Nec quae pauperies parit.

Sed portenta facis plurima, ut undique
Gentes praecipitent, quae voveant Deo
Sese subdere, mendacia vel pede
Orci numina frangere.

Nam rex obstupuit barbarus, e plaga
Cum lapsum videat repere per solum
Vermem, quem legis, inde hoc lapidem maris
Eoi nitidum exprimis.

Miranturque ferum qui aspiciunt humi
Pardum sternere te, terribiles neces
Dum campis tulerat, saltubus et vagis,
Ullo nec poterat fodi.

Sic servata tibi foemina dum bibit
Invisam luteo cum latice aspidem,
Decedatque statim corpore conficis
Ne praecordia vulneret.

Confectus senio concipis ultima
Vitae tangere jam tempora; Numini
Tum vota ingeminas fervida, spiritus
Membris integer evolet.

Cum corpus careat lumine, se tulit
Turmatim populus, quod locat aureum
In stratum, pius et thura cremat sacra,
Florum serta revinciens.

Completur spoliis interea decus
Extremum, vacuo fit nitor aere,
Fundit desiliens aligerum chorus
Terris insolitum melos.

AD DIVUM POSTHUMIUM

ODE XIII.

Posthumi Divum veneraris aras;
Nec putas tecum generasse patres,
Qui preces illis dederunt inanes,
Luce carentes?

At Deus vult te tenebris reduci,
Tam tuae sortis miseret nefandae,
Dum nihil quaeris nisi per silentes
Vivere silvas.

Jussus Ales de solio volare
Ut viam quae sit doceat tenenda,
Si cor exardet loca devenire
Tradita justis.

Vir sacrum ad fontem vehat, ut parentum
Eluas crimen, retegatque vota
Integra quae sunt facienda mente,
Nomine Priscus.

Nil recusas, quae dabit ut fidelis
Jussa persolvas, veluti tenella
Planta pubescens generare jactas
Postea fructus.

Cum Macar certe videat propinqua
Fata, vult ducas pia claustra praesul,
Quinque et expirans tribuit regenda
Millia fratrum.

Qua grave hoc pondus ratione ferre
Nescias, idem venit ales astris,
Quaeque sit tantam referat catervam
Norma gerendi.

Lucifer stellis magis ut coruscat,
Hoc magis Phoebe radiat bicornis,
Inter omnes sic tua plus renidet
Vitrea virtus.

Daemon incassum laqueos avernos
Texuit, sicut tenuem aura nubem
Solvis, ut spretus remeet sub antra
Nigra doloris.

Post tot angores, vigilesque curas,
Hora pulsat quae vocat ad superna,
Magna ubi claris meritis tributa
Praemia carpas.

AD DIVUM FRONTONIUM

ODE XIV.

Frontoni memorem quomodo gentibus
Monstrasti Domino qui teneant fidem,
Nil vita caruisse
Poscat quidque necessitas,

Condens tempora per frondiferum nemus
Et tecum unanimes qui cupiunt tua
Praecepta obsequiosi,
Exemplumque facessere;

Securus reputans scindere nil queat
Statutam requiem, spiritus impius
Confidenter Eremi
Irrepsit penetralia.

Quod nigris tulerat virus ab inferis
Cunctos in comites pestiferum indidit,
Exultansque malignus
Rictum protulit horridum:

Victorem quia nec plus tolerant famem
Se jactat querulam, nec cruciatibus
Impulsi remorantur
Quae suadet furor efferus.

His tum verba Dei colloquio refers,
Dum gentes docuit non studio cibum,
Nec qui velet amictum,
Sed caelestia quaerere.

Nutans continuo regreditur fides,
Dulcis pax iterum pectoribus sedet,
Nam sermo penetravit
Sicut fulgur in aethere.

Mirandum inde vident prodigium: duce
Expertes veniunt coenobium prope,
Compressique cameli
Magno pondere munerum;

Hoc et deposito, languida corpora
Jucundo cupidi gramine nutriunt,
Et mentem quasi haberent,
Perpasti repetunt herum.

Commoti Dominum tum genibus colunt
Flexis thura cremant et redolentia,
Nec cessant celebrare
Ostentum memorabile.

Ad stellas quoque te laudibus efferunt,
Hostis sollicitus tartarei unguibus
Saevis eripuisti,
Cum capti ruerent dolis.

Viventi Omnipotens si dederit tibi
Virtutem facias cognita non prius,
Nobis corde precamur
Aeterna ut veniat salus.

AD DIVUM MUTIUM

ODE XV.

Ignitis Erebi faucibus abstulit
Aeternus solio te Pater edito
Muti, criminibus merse nefariis.
Si cum nempe cruor polluat et tepens
Illorum per iter quos jugulas ferox,
Indutus spoliis quae rapis ut latro
Per valles latitans umbriferas, juga
Vel per devia, vel per scopulos cavos,
Tigris non secus ac indomitus leo,
Spectat providus ut te Deus, intimo
Impulsum rapidum pectore concipis,
Et vim quae vehemens ad superos trahit.
Tum divinus amor rupe reconditum
Fert antrum petere, ut fletibus illitam
Commissis animam flagitiis luas.
Ales sicut amat chaonis integris
Undis se abluere ut purior avolet,
Sic jejunia mavis macerent diu,
Utrum corporis ac effodiant latus
Sentes cum recubas, vel silices humi,
Fiat mundior ut spiritus in dies,
Tritis solvere qui se rogat artubus.
Producenda tamen longius, ut Deus
Mandat, vita gravis, crimina ponere

Ut discant alii, et signa tua insequi;
Portenta interea vel nova compleas.
Tu solem retines, scilicet impedis,
Undas aequoreas decidat ut solet;
Umbris nec rutilent sidera fulgida;
Nec spargat radios luna per aërem.
Murmur prodigiorum undique pervolans,
Praeduris operis perdomitus cadis,
Dimittens populis facta perennia.

AD DIVUM GUALBERTUM

ODE XVI.

Sanctae virtutes caelesti luce nitentes
Salvete, providae duces

Vos estis miseris mortalibus, improba vitent,
Decus velint et assequi.

Tuque prior salve quae splendida parcere virtus
Saevis jubes et hostibus;

Vesanos etiam penitus restinguere nostro
Irae furores pectore.

Hac tu praecipue meruisti praemia justa
Gualberte laus Hetruriae.

Interfectorem poteras dum caedere fratris,
Non abstines manus modo,

Sed tribuis veniam, largiri grandia nunquam
Cessas et ipsi munera.

Affixo facinus placuit tam nobile Christo,
Ut annuat tibi e Cruce.

Cum nutum videas commoto corde requiris
    Ubi Deo te consacres.

Umbrosam vallem vix mens agitata volutat,
    Ad hanc pedes te transferunt.

Secretam satis et vacuam praebere videtur
    Haec solitudinem tibi,

Inclyta construere ut possis penetralia summo
    Prorsus dicata Numini;

Praestantes capiant claris virtutibus aedes
    Jacent ad illas qui gradum,

Ausoniae tecum pulsuri litore ab omni
    Novas iniquas haereses.

O vallis quondam deducto nomine ab umbris,
    Ut sole clarior micas!

In te non sterilis culmus, non horrida spina,
    Progerminet nec carduus;

Lilia cum violis potius pallentibus ornent,
    Simul fragrent amaraci;

Educet et gramen, floresque favonius aura,
    Cadens et humor roscidus:

Frigore vel nunquam noceat, vel turbine bruma,
Vel verberante fulmine,

Surgens fornicibus dum caeli aurora rubescit,
Vibret jubar fulgentius.

Et caelum et tellus plaudat quo vota precesque
Funduntur ardentes Deo,

Puraque quo sedeat pietas, acceptaque thura
Fument focis calentibus.

AD DIVUM AUGUSTINUM

ODE XVII.

Dum corde volvis turpia conqueri,
Lamenta moerens edere tristia,
Et flectere Augustine Numen
Cum lacrymis precibusque certas;

Spectas opacum arboribus nemus,
Nullius et pressum pedibus jugum;
Hic cernis effossae cavernae
Cautibus abditus immorari.

Deserta vero non loca destinat,
Tantum vigorem qui dedit ingeni,
Ignotus in silva vel antro
Non tolerat lateas pavendo.

Ecclesiae te praesidium et decus
Elegit hostes rumpere funditus,
Qui vera spernunt impieque
Jus fidei violant, et aequum.

Linquis recessus, et petis oppida,
Ut belliger qui nescius opprimi
Concurrat audax, diruatque
Agmina se decorans triumphis.

Si verba promis, sive volumina,
Ignita tamquam fulmina nubibus
Excussa, sternuntur catervae
Tartareo duce militantes.

Victoriarum non pretium fugax,
Laurus velut vel serta cadentia,
Sed jam recensitum beatis
Gloria te maneat superna.

Caeli supremo vertice dum nites
Laetaris agmen te videas sequi,
Fauste vigens terrarum ubique
Relligione scientiaque;

Semper tuis vel virginem amabilem,
Almam Dei matrem aedibus excoli,
Regina quae gestit benigna
Fundere munera opesque ferre.

Sol donec ardens lumine fulgurat,
Praescripta rerum vel series manet,
Toto voceris, laudibusque
Christiadum cumuleris orbe.

AD DIVUM ANGELUM CARMELITANUM

ODE XVIII.

Omine quam dextro generatum matris in alvo
 Angele te video!

Vitae nam fudit virtutis semina primis
 Motibus ipse Deus.

Divini flamma hinc arsit tam pectus amoris,
 Ut puer ingenuus

Carmeli exoptes venerandam sumere vestem;
 Postea quinque velis

Occultus silvis squalore errare per annos;
 Queis ita praeteritis,

Progrederis Solymam cum poscas esse sacerdos,
 Acrius ut liceat

Quaque Evangelii lumen diffundere terra
 Voce simulque prece.

Dissita per loca sed postquam peragraveris orbem,
 Veneris ad Siculos,

Impiger affectans toto servare cruore
Integra jura Dei.

Hic te dicentem percussor vulnerat aram
Impius ante sacram;

Sanguis rescissis, visu miserabile, venis
Exilit hinc violens;

Continuo caelum praeclara luce coruscat,
Agmina et aligerum

Plausu descendunt, capiti nectuntque coronam
Martyrio meritam.

Hac exornatus caelesti sede potitus,
Lumen eris fidei.

AD DIVUM BERNARDUM

ODE XIX.

Si lac fluens suave Virginis sinu
Mirifice labium,
Quod irrigaverat tibi,

Ut melleum, Bernarde, posset eloqui,
Flexanima et comitem
Se se suadela adderet,

Os vatis irroraret, ille debitum
Carmine nectareo
Praeconium contexeret.

Quis namque vallibus sederet humidis,
Saltubus aut gelidis,
Aut infimis paludibus,

Bonis et esset tam peritus artibus
Eximiusque sacris
Doctor quibusque literis?

Doctrina candidis revincta moribus
Et poterat rabidi
Cordis furorem flectere;

Et christianos principes, dum tristia
Arma tulere feri,
Firmo ligare foedere.

Coenobia construis plagis inhospitis,
Omnibus ut pateat
Secura quo sedet quies.

Virtutis ad lumen nitentis aspicis
Quam rapide veniant
Quae te sequantur agmina.

Quamvis vel hauriant malignum vallium
Aëra vel nemorum.
Magis valescit sanitas.

Amica pax quosvis dolores sublevat,
Perniciosa mala
Illa vel orta origine.

Stupore perculsi terunt qui tempora
Desidia, illecebris
Et diffluunt fugacibus,

Ultro trahuntur ut vagantes alites
Perspicuis ab aquis
Fulgore quas sol percutit.

Sic perspicax praedam dolosi Daemonis
Eripis, atque viam
Omnes doces quae vindicat;

Cultum Beatae Virginis sermonibus
Mollibus amplificas
Ut spem salutis unicam.

Caelo peractis tot vides laboribus,
Innumeras animas
Mundo carere crimine.

AD DIVUM HIERONYMUM DALMATICUM

ODE XX.

Testudinis quis jungere carmina,
Insigne fortis Dalmatiae decus,
Te digna chordis, et supremas
Non timeat celebrare laudes?

Non aptus esset Thracius Orpheus,
Et Pindari vox gutture sisteret,
Nec perpolitis arte Flaccus
Versibus exitum haberet ullum.

Insanus ergo quis furor incitat
Pennis carentem nitier aëre,
Tellure si vix possum in imis
Gramina lambere nata campis?

Valde remissus te veniam rogo,
Non vana mens, sed relligio et tua
Quae tam refulsit rara virtus
Raucisonum edere carmen egit.

Si accepta Divis sertaque florea,
Et mica thuris, parvaque munera,
Sic grata sint fido tributa
Quaeque modis tibi verba nectam.

Solum Dei ut te gloria duxerit
Per lustra, silvas, et loca inhospita
Nullum latet, vel docta chartis
Tradideris, lacrymis liquescens;

Et noctis atrae cum tenebrae cadunt
Ut ceperis somnum scopulos super,
Circaque spinas, quae maligne
Excrucient, fodiantque corpus;

Aurora et umbras cum fugat aurea
Et gestientes cantibus alites
Lucem salutant, destinatos
Voce pia caneres ut hymnos;

Dictoque sacro carmine, fletibus
Contriveris vel tempora tristibus,
Jejunus aut saevis soleres
Verberibus lacerare terga.

Post tot labores atque diutina
Tormenta tandem corpore spiritum
Cessisse dicam sicut ignis
Fulminis ut sedeat superne.

Namque Urbe dudum vixeris, illius
Factus latine doctior in sinu,
Esto memor, cura ut beata,
Et melius nihil extet orbe.

AD DIVUM FRANCISCUM

ODE XXI.

Felix insidias qui fugit improbas
Mundus quas parat, ac arbiter inferum;
Immotusque Deum corde colit, prius
Et fert res miseras, quam faciat nefas.
Te Francisce sagax urbibus extrahis,
Fluxis atque opibus; nec juvat otium
Ruris graminei, languida nec quies.
Secretum petis in montibus asperis
Spelaeum radiis non penetrabile;
Phoebea magis at lampade fulgeat,
Splendor tempora cum circumeat tua,
Erumpantque rubis purpureae rosae.
Hac, sacra in populis spargere cum velis,
Decedis fovea; praeterea exhibes
Praesens subsidium quos elephantia
Rodit, vel sanie corpora devorat;
Mendicosque tuis vestibus induis,
Illorum et laceris te tegis invicem.
Caelo cum niteas non hominum immemor,
Et portenta facis, fama docet loquax,
Pressos pauperie semper et allevas.
Fari si licet, ut lumina clauderem,
Visus nocte mihi es, verbaque proloqui,
Ut sanctae fidei jussa sequar tenax,
Nunquam oblivia quae pectore deleant.

AD DIVUM BRUNONEM

ODE XXII.

Rupes montibus aviis ;
Antiquis loca densa arboribus , sinu
Quae saevas alitis feras ,
Brumali nivibus condita tempore ;
Torrentes strepitum jugis
Lapsu qui rapido redditis horridum ;
Infelix sine frugibus
Tellus obsita vel sentibus aridis ;
Caelum nubibus abditum ;
Vestra ut se facies squallida verterit ,
Istis dum penetralibus
Et Bruno hospitii suscipitur fide ,
Conjunctusque sodalibus
Aras extulerit thuricremas Dei
Matri , et coenobium inclytum ,
Quo semper reboant cum gemitu preces.
Haec si Gallia viderit ,
Spectarunt alii mox populi invicem.
Sint instar Calabri omnium ,
Ad quos mira cadunt , quaeque oculi vident.
Terra nam sterili est ubi
Bruno compositus gramina germinant ,
Et ros aërius pluit ,
Ut semper vireant , laetaque floreant.
Quis tot prodigiis fore
Brunonem venerandum neget impius ?

AD DIVUM BENEDICTUM

ODE XXIII.

Immanes scopuli in caelum, saltusque profundi
Perspicuum aethera praeripientes;

Rupibus et flumen quod fractum labitur altis,
Unde resultant murmura aquai;

Secessus circum taciturni montivagarum
Saecla latent ubi multa ferarum;

Antrum quod montis sinuoso gurgite condunt
Horrida saxa, rubetaque opaca;

Est mea defixa in vobis mens, jamque videtur
Me trahere hoc gelidis specus umbris.

Quid moror occultas nemorum penetrare latebras,
Perpetuamque ibi ponere sedem?

Nunquam desistam caelorum incessere Regem,
Illius omnia perferam amore;

Nec me subducent laudes, nec commoda vitae,
Divitiae, pietasque parentum;

Non pectus caleat summo nisi numine plenum,
    Cui famuler vigil, atque fidelis.

O duri silices effusi ubicumque per antrum,
    Quos super assidue pia supplex

Vota iterabo; vos spinae quae surgitis acres
    Quasque super jaceam atque revolvar,

Cum redimita rosis aurora refulget et auro,
    Usque madescere sanguine cernam:

Si pubescentes fletu, sparsoque cruore
    Forsitan asperius fodiatis,

Vos eritis dulcis mihi praelibata voluptas,
    Vos violaria, vos mihi myrtus;

Quippe labore meo magis assurgatis acutae
    Certius est mihi scandere caelum;

Altius infixae faciatis vulnera membris,
    Effugiente oculis ita somno,

Turbida vanescat quaevis sententia mentis,
    Quam Satan ut peream incitat astu.

Nil certe poterit vobis divellere firmum
    Propositum, et vigor usque manebit;

Spiritus hinc liber properabit tollere pennis
Se metuentibus aëre solvi.

O vere Benedicte, Deus te hoc urit amore,
Illius ut sacra templa perornes!

AD DIVUM MAURUM

ODE XXIV.

Felicem puto te Gallia millies,
Rex caeli Omnipotens si faveat tibi;
Christi relligio si venerabilis
    In regno sedeat tuo.

Praeclaris operis magnanimos viros
Ostentas merito, qui doceant fidem,
Portentisque novis efficiant Deo
    Gentes thura pie crement.

Ex multis numeras, qui colitur tibi,
Maurum, quippe palam mira peregerit,
Sanctum et constituens coenobium Bene-
    Dicti ceperit ordinem.

Aulae mox fugiunt splendida regiae,
Mundi delicias, ex animo et prece
Exposcunt tunicam sumere principes,
    Vitam ducere et asperam.

Nequicquam rabies incitat impios,
Nequicquam reboat tartareum specus,
Et flammae crepitant quas acuit ferox
    Hostis christiadum draco.

Heroa hunc sapiens praecipitans moras
Pro se, pro tenera conjuge, pro sua
Regnator sobole, ac imperio rogat,
    Vota ut suscipiat Deo.

Quod vult extudit. O Maure simul petis
De caelo auxilium, prosperitas viget,
Artes multiplices se expediunt, statim
    Surgit laetitia insolens.

Ut ver si tepidum post hiemis gelu,
Etsi rura jacent non bene consita,
Exornat variis floribus, e quibus
    Felix copia fructuum.

Quid? quacumque Crucis nobile tollitur
Signum, vel stabilis consideat fides,
Tantum floreat et pura beatitas,
    Et speranda salus ibi.

AD DIVUM ROMUALDUM

ODE XXV.

Omnipotens Creator
Saepe grata voce vocat qui propere capessant

Jussa sua, ac imago
Clara virtutis, documentum et pietatis altum

Sint. Etenim juventae
Romualdum flore, ducum progeniem revolvo

Mente jocis dicatum,
Sive venandi studio per juga, perque silvas;

Qui, simul ac ciebat
Murmur aurae, quippe Dei flexanima est loquela

Auribus et susurrans,
Et suadens linquere ludos, fugere et caduca,

Nec volucres, ferasque
Retibus vel fallere, vel figere pervagantes,

Hoc sequitur, sacraque
Veste tectus, pauperiem sustinet et molestam.

Inclyte quanta mira
Romualde, afflante Deo, et quot perages! cohortes

Innumerae remotis
E plagis te conveniebant hominum proborum;

Hinc ubi bestiarum
Audiebatur fremitus, vota pia insonabant.

Languidus at senecta
Somnio scalas videas, nubibus aureisque

Perdere se, sequaces
Et tuos alba tunica scandere regna caeli;

Percipias modosque
Angelorum, vel tibi quae debita comparantur;

Namque Deo fidelis
Imperatos et moriens perpeteris labores.

PARS SECUNDA

AD DIVAM MARIAM MAGDALENAM

ODE I.

O venustas tu studium virorum ,
Clara dum victrix dominaris orbe ,
Saepe deludens animae suescis
Ferre ruinam.

Ore praestans ac opulenta , laesa
Magdalis turpis jaculis amoris ,
Ni juvaret te Deus , horridum esses
Lapsa barathrum.

Ut vitro ludit volitans alauda ,
Sic tui circum peragras amantes
Immemor , vita sine lege gaudens
More ferarum.

Pulchra si vultu , temerata corde ,
Te vehant culpae stimuli nefandae ,
Ni Redemptor , quis potuisset altum
Pellere somnum ?

Illius tam vox gremium penetrat,
Horreas foedum facinus patratum,
Ad nemus curras tremefacta sicut
Saucia cerva.

Hic genas roras lacrymis, gravesque
Pectore educis gemitus ab imo,
Poenitens saeva scutica cruentas
Mollia membra.

Procubans cultu spoliata, passis
Et capillis per scapulas precaris,
Christus ut vitae facilis remittat
Facta pudendae.

Mox gradus volvis rapidos ad illum,
Cujus et plantas properas lavare
Fletibus, multa et pietate longo
Tergere crine:

Hinc dedisti te comitem, dolensque
Devoves sacro quod habes amore,
Ut venustatem, pretiosa, falsa
Gaudia mundi.

Tu vides Jesum comitata tandem
Spiritum efflantem Cruce; dein sepulchro
Collocas corpus, syrioque curas
Spargere nardo.

Obstupes mox de tumulo repostum
Prima per nubes nitidas volantem ;
Interim magnis cumulata donis
Matre moraris.

Christianis si populis iniqua
Gens Idumaea ut moriaris alti
Absque rectore , et lacera biremi
Trudat in undas ,

Candidus vinclis zephyrus solutus
Leniter fluctus agitat , carinam
Inde qui recta vehat ad superbam
Massiliae Urbem.

Inter at gentes refugis manere ,
Et loca exoptas tenebrosa , possis
Ut Deum versare animo , ac amarum
Pergere fletum.

Ter cava denos fovea per annos
Fructibus vivis nemoris , vel herbis ;
Vestibus scissis operis pudica
Membra capillis.

Lampas ut cessat , cui desit unde
Flamma se pascat , moritura vires
Perdis , et tanquam superata somno
Morte quiescis.

Aurei caeli reserantur axes
Obviam fertur chorus Angelorum,
Quo super stellas sociata fulges
Usque beata.

AD DIVAM MARIAM SOLITARIAM

ODE II.

Ecquis ad mollem citharam Maria
Concinat quam sis patruo revincta
Abrahamo, qui miseram tremendo
Abstulit Orco.

Cum lateres in tenebris cavernae
Pura eras ulla sine labe, sicut
Emicantis quae fluit unda rivi
Pumice montis.

Per dolos textos Stygiis in umbris
Fluctuas moesto maneas eremo;
Victa sed cedis furiata viro
Turpis amoris.

Impiger Daemon facinus suadet,
Pervium culpis iter et recludit,
Ut volutabro caderes nefando
Orba pudore.

Cum prius virtus pietasque vera
Duceret gressus anima enitebat;
Sed latebroso maculata lustro
Ut lupa sordes.

Pace gaudebas specubus beata,
Consciae sed mox stimulis peracta
Mentis, absorbes aconita melle
Condita Averno.

Ast pius nunquam patruus reliquit,
Atque tergo te sequitur, probrosum
Intrat hinc fictis tunicis lupanar,
Datque salutem.

Moxque detexit faciem; rubesce,
Noscito qui sim, veniamque caelo
Flagita, et cryptam remeans opacam
Crimina luge.

Frigore adstrictis glaciale membris
Concidis, sed ne pereas repente
Perditum vitae revocat benigna
Voce vigorem.

Surgis et vis cum redeat lacertis
Ad nemus velox properas specusque,
Cerva ceu vivi sitibunda fontis
Fertur ad undas.

Hic famem diram pateris quieta,
Saeviens et te laceras flagellis,
Nec piget longas tolerare poenas
Quinque per annos.

Non secus perdit moriens honorem
Flos caput supra calamum recurvans,
Procubas sensim peritura in antro
Lumina claudis.

AD DIVAM THAISIM

ODE III.

Casta servasses Thaisis pudorem,
Ut verecundae faciunt puellae,
Ni viam mater reserasset amplam
Improba culpae.

Turpibus vinctam laqueis amoris,
Foeda dum mentem cohibet libido,
Usque ab excelso comiter Creator
Aspicit axe.

Eja, Paphnuti, statui puellam
Inquit a coeno scelerum movere;
Sit tibi munus, misera in profundum
Ne ruat Orcum.

Hic laborat vel facili loquela
Pectus impurum meliora quaerat,
Donec et vitae videantur actae
Signa doloris.

Tum veni, clamat, manibus revellam
Daemonis, pastor veluti luporum
Dente raptorum pecus in virenti
Aequore pascens.

Audientem te vacua caverna
Abdit, hac tres ut maneas per annos,
Aegra et infelix careas salubri
Lumine solis;

Et cibum parvo capias meatu,
Rivuli et propter fugientis undas;
Conteras tempus precibus, parumque
Nocte quiescas.

Mox recluso limine abire jussit
Sedulus custos, patiens tulisti
Dixit angores, tibi sit remissum
Dedecus omne.

Languor obstat, nam macies peredit
Dira corpus, nec pedibus moveri,
Nec Creatori poteras merenti
Solvere grates.

Quin jaces pectus quatiens anhelum;
Denique expiras animam voluerem,
Quinquies postquam remeante sole
Terra refulsit.

AD DIVAM PAULAM ROMANAM

ODE IV.

Nexu mirifico nitent
Virtutes animi Paula tui, magis
Quam stellae; studio Dei
Fortis despiciens divitias patrum,
Gaudes pauperie premi,
Vestes purpureas vertere sordibus.
Urbem vel dominam fugis,
Admiranda virago, atque palatia;
Dilectam et sobolem potes
Naturae superans vincla relinquere.
Cum te navigium vehat,
Nec tristes hyadas, nec metuis notum,
Torvus qui arbiter Adriae
Gestit tollere, vel ponere caerula.
Tecum non aliud putas
Quam Bethlemica vel scandere compita,
Vel cunabula visere,
Vagitus ubi Jesus puer edidit;
Silvas, tesquaque transgredi,
Plures qua latebris se Monachi obtegunt;
Claustrum construere, ut prece
Flectatur Deus et thuris odoribus.
Caelum propitium adjuvat,
Ut prorsus facias quae velis.

Atqui virgineis choris,
Sacris praesidibus subsidium feras;
Mater pauperibus cibum,
Vestes et tribuas qui indigeant tegi;
Ut te redderet undique
Praeclaram pietas. Denique concidis
Et tanquam novus aliger
Aeternum volitas Numinis in sinum.

AD DIVAM MARCELLAM ROMANAM

ODE V.

Edita progenie cum sis Marcella vetusta,
Clara factis, consulibusque;

Possideas felix, soleant quae fallere mundum
Ornamentaque, divitiasque;

Eximia pietate tamen praecellere mavis,
Omnia firmo pectore linquis.

Cum posses thalamo sublimi sponsa potiri,
Vincula quaeque pudica recusas;

Dura pauperie exoptas decerpere spinas,
Quam flores socialis amoris.

Cum nihil alliciat quam solvere vota, precesque,
Atque volumina volvere sacra,

Indiga in occulto decernis vivere agello,
Utpote devotum penetrale.

Gentibus hic verae cum sis pietatis imago,
Te plures aequare laborant;

Hinc urbs in Solymam penitus mutata videtur,
    Ut plerique Deum venerentur.

Interea Gothi populant capitolia saevi,
    Gens avidissima caedis et auri;

Te, dum thesauros poscunt, quos condere credunt,
    Probris, verberibusque flagellant;

Sed quia crudeles non possunt frangere membra;
    Defixis oculis obstupuere;

Integra cum maneas, alia ac ostenta facessas,
    Relligionem corde fatentur.

Fictaque post fatum non sicut Julia fulges
    Intemerati stella pudoris.

AD DIVAM EUPHRASIAM

ODE VI.

Claris proveniens atavis Euphrasia virgo,
    Excelsa velut arbore ramus,

Non septennis adhuc quam sacri noscis amoris
    Sit pectus penetrabile telis:

Nam vitare studes pietati obstacula quaeque,
    Et rigido te condere claustro.

Sicut contemnis primis puerilia, fluxa
    Sic saecli crescentibus annis;

Inde velis opibus potius, rebusque carere,
    Quam superum deperdere sedem.

Postea ut exemplum esses imitabile castis
    Lilia tanquam candida crescis.

Tristia sed sine caelesti jejunia ferre
    Auxilio, durosve labores,

Ludere nec poteras qua involvit Daemonis artem,
    Tela sicut aranea muscas;

Qui dum se jactat victorem, teque catenis
    Censet averno tradere vinctam,

Duris suppliciis firma exerceris in horas,
    Absolvis miracula plura,

Saepe tuis precibus secedit spiritus ater
    Possessorum corpore velox.

Cum vix ad medium mortalis circulus instet
    Lucis, marcor membra premebat;

Et cum virtutis documentum gentibus esses,
    Morte capis divina triumphum.

AD DIVAM BIRGITTAM

ODE VII.

Te licet florens decoret juventa,
Fronte Birgitta et niteant ocelli,
Et pares annis superes ut astra
Lucida Titan;

Teque plures cum pereant avita
Stirpe praestantes, opibusque dites,
Nuptias optent celebrare tecum
Saucii amore;

Sancta jucundos refugis lepores,
Quaeque compellunt animum, rosasque
Sponsa in aurato thalamo recumbens
Carpere molles;

Quin studes raram maculare formam,
Et refulgentem pupulae nitorem
Abdere, et virgo penetrare sacri
Moenia claustri.

Cum Deo votum facias pudica,
Flamma de collo saliens coruscat,
Seque confestim per inane caeli
Tollit in ignes.

Clarior vultu remeat venustas,
Et magis splendent oculi ut renidet,
Nubibus scissis veniente sole,
Purior aether.

Inde quidquid vis facias, ut inter
Res novas, portenta vel insueta,
Gentibus coram fluvium juberes
Vertere cursum.

Tum Creator te loquitur, refertque,
Ut beati qui lacrimantur, atque
Corrigunt sensus, cape parta luctu
Munera in aevum.

AD DIVAM CATHARINAM SENENSEM

ODE VIII.

Quis te formosam vidit Catharina puellam,
Commotus specie lumina fixit;

Non sexennis adhuc sed spectans aethere Jesum,
Expetis illi corde dicari;

Atque sacramentum puerili mente revolvis
Dicere, vel monachos imitari.

Millibus interea discindis membra flagellis,
Praedura et jejunia servas.

Cum matura viro te optent sociare parentes,
Praecipiunt ut vestibus ornes.

Talia sed renuis non apta capessere jussa,
Quin properas rescindere crines.

Non cessat pater impatiens imponere poenas,
Quas penitus submissa rependis.

Tempore flexa genu quo verba precantia mittis,
Cum circumvolet alba columba,

Ille stupens poscit qua venerit, at fugit ales;
Nil quaerenti nescia reddis.

Conspiciens animo tum quae divina voluntas,
Sacra Deo sis, dat tibi, virgo.

Impius insidiis tentat te ludere Daemon
Frustra, mascula namque repellis.

Pangere praeterea poteras, vel vertere libros,
Sis latiae licet inscia linguae.

Moliri Omnipotens quae non miracula possit?
Spiritibus quid non dare puris?

Subtrahit ipse tua spinarum fronte coronam
Jesus, textam et praebuit auro,

Dicens, qui mundo pretiosos curat acervos
Saeve morte obita crucietur;

Sed qui suppliciis non sistit laedere corpus,
Cingatur radiantibus astris:

Hinc cor divellens, aliud, mirabile monstrum!
Ponit, sanctius ut micet in te.

Cum miris hominum factis incenderis aures,
Haec repetis vel proxima morti.

Commendas animam, permensa at tempora vitae,
Ut Patri moriens Cruce Christus.

AD DIVAM MARGARITAM CORTONENSEM

ODE IX.

Qui cadaver aspicit,
Putatque stratum vile quam videtur;

Horrido silentio
Quam sit loquax; quam terreat gelu, vel

Sordida putredine;
Vel quam gravi halitu procul repellat;

Territus retro fugit,
Deum invocat, relinquit et caduca.

Te ne fecerit gravis
Idem beatam Margarita visus?

Mortuum vides humi
Quem deperibas; ut daret cruore

Vermibus cibum putri;
Ut et noceret squalida mephiti:

Cogitas libidines
In quo locaveris proterva dudum;

Occupat tremor, genae
Sinusque largis fletibus rigantur,

Et Deus tibi nefas
Oras patratum leniter remittat;

Das fidem, quoad dies
Currant, acerbe conqueri peracta.

Sordibus cor ut litum
Erat prius, sic absque labe fulget.

Fracta poenitentiis,
Laboribusque concidis sopore

Mortis. Hinc specus nigrum
In aureum convertitur nitorem;

Asperis rubis rosae
Surgunt venustae sicut in viretis.

AD DIVAM MARIAM AEGYPTIACAM

ODE X.

Beatus alma quem Dei Mater fovet,
Gradusque comis dirigit;

Portu, periclis nam salutem comperit,
Sicut biremis aestubus.

Dum vana quaeris, procax amoribus
Maria mersa turpibus,

Ad poenitentiam quis advehat nisi
Tutela Virginis potens?

Sudo colendam conspicis Crucem aëre,
Absconditam tibi diu.

Imago tamquam vocis aura murmurat,
Et molienda sic monet;

Jordanis adnata sacras undas, mora
Sit nulla, pacem si velis.

Obediens secura flumen trajicis,
Solo velut deambulans.

Mox eligis reductum eremum quo geras
Vitam per annos praegravem.

Audax tenebrarum reniteris Duci,
Ejus latentes et dolos

Perdis, subactam qui putans laboribus,
Longa vel abstinentia,

Aegyptias dapes, simul libidines
Turpes refert ad spiritum,

Datam Deo ut fidem neges; ita in scelus
Cum te vehat, praedam instruat.

Crudelius corpus flagellis inficis,
Imbrem profundens fletuum;

Non deseris preces, ut hostis efferus
Cito in fugam se conferat;

Et quae manent vitae dicare tempora
Possis beatae Virgini.

Audit benigna Virgo, quae te vindicat,
Hostem ut procul discusserit.

AD DIVAM PELAGIAM

ODE XI.

Maculosum removet tum scelus omne
Animam perficit et quisque beatam
Ubi purus venerandas colat aedes, sacra quaerat.

Petulans tu meretrix Antiochena,
Simul ac cor pia tangunt, scelus horres,
Gemis, amplexa fidem tum facilis Christiadarum:

Tibi nam, cum vireas flore juventae,
Vetitis atque voluptatibus acta,
Inhoneste tunicis et saturis murice amicta,

Satis est excipias edita Nonno
Super Evangelio, Daemonis artes
Videas, et quibus ut te teneat sub dominatu.

Quereris, facta pudent turpia; tristis
Properas mox procul evadere ab urbe,
Regionemque requiris vacuam, qua lacrymeris.

Posito quo niteas divite cultu,
Operis tegmine te sordido,
Bona vel distribuis quos premit in rebus egestas.

Oliveti juga lustrans, remoraris
Ubi Jesus stetit, et vota profudit,
Memori contineas hoc animo nocte dieque.

Specus in vertice montis tenebrosum
Legis, ut sustineas abdita duros
Cruciatus, penitus dum careat lumine corpus.

Macies horrida tum conficit artus,
Oculi pulverulenti fodiuntur,
Calor extinguitur, ut mox retegat te morituram,

Cava nubes oritur, quae vaga fertur
Medium ardens per Olympum, celer unde
Petat imas regiones radios aurea spargens,

Laqueis corporeis ut resolutam
Subito circumeat, vel comitetur,
Adeas quo superum laetitia suscipiaris.

AD DIVAM FRANCISCAM ROMANAM

ODE XII.

Francisca nullo carmine sanctitas
Fingi potest, qua candida vixeris,
Et castitas supra renidens
Lilia splendidiora vallis.

Quamvis juventae vana fugis, tamen
Submissa patri tradita nuptiis,
Nec copia rerum, nec aula,
Nec genere ambitiosa gaudes.

Aetatis ardore orba viro, subis
Tristem recessum, gentibus ut procul
Aeterna tecum cogitares,
Quaeque ferunt animae salutem.

Ut pauperum mater neque desinis
Praebere clemens subsidium indigis,
Morbo gravi vel sublevare
Alloquio facili jacentes.

De gente praeclara allicis innubas
Claustro libenter claudere se velint,
Ut spiritum servent pudicum,
Et foveant pietate pectus.

Haec dum laboras, tartara qui tenet
Dux abditis te fallere fraudibus
Explorat; at nisus acerbis
Suppliciis, precibusque frangis;

Quin et recurvis tollis ab unguibus
Hostis malos qui crimina perpetrant,
Incumbis ut vel poenitentes
Expaveant renovare culpas.

Portenta coram dum populo exigis,
Cunctique credunt te venerabilem,
Vivamque contendunt beatas
Ad superas animas referre;

Occumbis, et cum marmore detrahant
Corpus sepultum, spargitur halitus,
Qualis solet manare vere
Purpureis violis, rosisque;

Tum thura flammis dant beneolentia
Cives, canunt solemnia carmina;
Te gestientes urbis almam
Romuleae dominam salutant.

FINIS.

INDEX

PRIMAE PARTIS

INDEX

SECUNDAE PARTIS